J. N. S. S. T.

DISSERTATIO MEDICA
De
AMBULATIONE
IN SOMNO.

Quam

ILLUSTRIS FACULTATIS MEDICÆ
AUTORITATE ATQUE PERMISSU
PRÆSIDE
VIRO
Nobiliſſimo, Excellentiſſimo atq; experientiſſimè
DN. JOHANNE THEODORO
SCHENCKIO,
MED. DOCTORE ET THEORETICES
PROFESSORE PUBLICO
celeberrimo,
DN. PRAECEPTORE, PATRONO atq; HOSPITE
ſuo immortali honore afficiendo,
Publico in Alma hac Salana examini ſubmittit

AUTOR
JOHANNES JACOBUS THEISNERUS
GORLICIO-HEXAPOLITANUS

die Septembr.
H. L. Q. C.

JENÆ

POST DEUM

CONSULIBUS, PRÆTORIQUE REIPUBLICÆ GORLICENSIS INCLUTÆ

Spectatiſſimis graviſſimis

VIRIS

NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS CONSULTISSIMIS ET PRUDENTISSIMIS

DN. CAROLO Förſtern HÆREDITARIO in Serchaw.

DN. ELIÆ Diſtrichen

DN. CHRISTIANO Möllern

DN. JEREMIÆ VICTORINO Zachern

DNN. PATRONIS, PRO-
PATRI, FAUTORIBUS ET PRO-
MOTORIBUS SUIS
Summo ſtudio & honore
proſeqvendis

DISSERTATIUNCULAM HANC
in debitam obſervantisſimi animi
teſſeram & ſtudiorum ſuorum
commendationem, ea, qua
par eſt, reverentia

Dicat

conſecrat

offert

JOHANN. JACOB. THEISNERUS
Medic. Cultor.

AD

Eximium & Doctiſſimum

DN. JOHANNEM JACOBUM

THEISNERUM, Medicinæ cultorem induſtrium, Inqvilinum ſuum plurimum dilectum

PRÆSES.

NOctambulorum ampla eſt familia, non omnis tamen curationi medicæ ſubjecta. Datur enim quæ non ineptè affectata vocari poterit, à lege corrigibilis, ubi immodico amore, odio, ira qvis captus, ea noctu audet & patrat facinora, quæ noctambuli verè ſic dicti obire quoque ſolent, qualia eſſe recenſentur rixæ, invaſiones clandeſtinæ, irruptiones ædium, ſtupra, interfe-

terfectiones, debacchationes &c. tanto majorem præ ſe vim atq; terrorem ferentia, quanto magis matrem omnis nequitiæ & petulantiæ, ebrietatem comitem adſciſcunt. Ab hac autem cum non omnis hominum ætas ſibi ſatis temperare ſciat, felicem meritò eum deprædicamus, quem iſtiusmodi exempla cautum & catum faciunt, quo minus eandem cum iſtis reprehenſionem & culpam à lege incurrat, atq́ue tandem dignum capite ſuo operculum non ſine ignominiæ nota reportet

Ad quam dignoſcendam cum hiſtoria eorum, qui ex morboſa diſpoſitione corporis mentis ejusmodi occaſum patiuntur, non parùm conducat (quippe qui ſomno detenti è lecto noctu ſurgunt, & has aliasq́ue actiones partim ludicras, partim abominandas non ſine adſtantium ſtupore adornãt,) merito THEISNERE Doctiſſime

hoc

hoc de conatu, ſpecimineq; in pertractenda laudatisſimo Tibi gratulor, nec dubito, quin voto huic meo plures alii calculum ſuum adjecturi ſint.

Quantam enim utilitatem aliis quoq; artibus & ſcientiis ea præbeat, vel ſoli mihi Juriſconſulti teſtes locupletisſimi erunt, cùm à Medicis audire avent, num etiam ex propoſito animoque deliberato ejusmodi actiones à noctambulis edi queant, & quonam κριτηρίῳ hoc haberi posſit. Cauſæ affectus hujus arduæ profecto ſunt, & quibꝰ τὸ θεῖον Hippocratis inſeri omnino debet: laudem tamen tua in enodandis & interpretandis illis ſolertia non minorẽ meruit, qui ſcita methodo & cognoſcendi & curandi ejꝰ principia publici juris facis, cenſuræque peritiorum ſubjicis.

Dubium non eſt hoc ipſo eleganti

ſcripto

ſcripto multum laudis apud doctos ingenuosque te initurum eſſe, & non modo deſiderio Parentis dilectisſimi unà ſatisfacturum, verum quoque inclutæ Civitati patriæ tua hacce prudentia opem olim medicam ſingularem allaturum.

DEUS habitum huncce acquiſitum tibi gratia & benedictione ſua cœleſti indies confirmet, felicitatemque tuam cum temporalem tum æternalem firmiter ſtabilitet. Hoc enim jubente & feſtinante celeriter res fiunt, & viæ, quæ Pindari in Pythiis ſententia eſt, fiunt breves. Scribebam Jenæ ipſis Nonis VIIbris

M DC LXXI.

PROOEMIUM.

NOs Chriſtiani, qui ſuffragante ſacro Codice ante glorioſiſſimam Filii DEI ad extremum judicium apparitionem nullam mortuorum reſurrectionem credimus, omnino admiramur Spectrorum illam, quæ manes dicuntur, atque poſt obitum apparere ſolent iis in locis, quos in vita præprimis frequentarunt: cujus cauſam ignorantes nos opus communiter eſſe putamus luſumque Diaboli.

Et quamvis certum, quod Dæmonis vis atque poteſtas haud raro ludat in rebus humanis; non tamen ſemper horum ſpectrorum apparitioni ille ſubeſt: Sed ſi *Paracelſo l. de origin. morbor. inviſib.* fidem ſano ſenſu adhibere volumus, ſpiritus materialis abſolute fertur quandoque ad ea poſt mortem expedienda, quibus per vitam fuit imprægnatus; non aliter ac plantarum quædam ſucculento ſpiritu referta exſtirpata creſcunt florentque.

Par ratio videtur ambulationis in ſomno, quæ quaſi mors non quidem cordis, ſed corporis, cum homo non raro inquietetur inſomniis, dum iisdem imprægnatꝰ ſpiritus impetuoſe, per quæ poteſt, organa ſeſe expedit, ita, ut pro appetitu ſpiritus ſui in tenebris, absque omni detrimento atque periculo, modo tecta & tabulata ædium aſcendat, trabes ac culmina perreptet, modo in profundum & puteos ſe dimittat, modò ad labores & ſtudia dormiens

miens aſſurgat, vel diverſis modis aliis tumultuetur, eaque audeat, quæ ab ordinata naturæ humanæ lege recedunt.

In quibus omnibus, ſi præter Numinis divini præſentiam ac protectionem, naturæ vim & efficaciam ſimul conſideremus, merito, hoc naturæ pronunciamus eſſe miraculum.

Cum vero teſtante *Zacuto Luſitano Hiſtor. medic. princip. l. 1. hiſtor. 15.* hæc ambulatio miſerabilis ſit affectio, plurimis periculis calamitatibusque obnoxia; pauci autem Medicorum parum notatu digna de ea protulerint: placuit mihi, DEO auxiliante, omnia breviter in unum quaſi colligere, ventilationique publicæ ſubmittere.

CAPUT I.

Nominis rationem indicat.

§. I. Cum nomina ſint ſigna rerum, per quæ indicantur, merito inquirendum, quid thema hoc noſtrum ſignificet, quidve nobis indicet. Quod ut eo melius fiat, removenda prius eſt omnis ambiguitas, quæ de hoc occurrit.

§. II. Nimis enim *late* ambulatio in ſomno ſumitur de iis, qui per planas & interdum ipſis notas ſatis vias forte iter faciunt, atque inter eundum obdormientes, ita aliquousque progrediuntur, id quod *Galenus* ſibi accidiſſe ſcribit *2. de motu muſculorum c. 4. Propriè* itaque illis competit, qui (ſani alioqvin) dormientes tamen noctu inſcii è lecto ſurgunt, ſomnoque detenti hinc inde ambulant, vigilantiumque, & mire quidem, opera, perpetrant, quorum mane à ſomno expergiſcentes non recordantur, vel tamen non niſi per ſomnium factum eſſe putant.

§. III. Affectione hac detentos variis nominibus paſſim Autores proſeqvuntur. Prout enim res concipitur, ita plerumque dicitur. Ita omnium primo ejusmodi, dicti ſunt ab *Hippocrate* σέληνοι aut σεληνιαζόμενοι ἀπὸ τῆς σελήνης, Luna, qui conſideratare ſeu cauſa, à qua affectus iſte dependet, illos à Luna nominare voluit, quaſi Lunares, quem *Latini* in eo ſecuti Lunaticos appellarunt.

§. IV. Ab aliis, quod hic affectus noctu tantummodo ægros invadat, dicti fuere νυκτοβάται ἀπὸ τῆς νυκτὸς, quod noctem ſignificat, καὶ τοῦ βατεῖν vadere, quaſi

nocti-

noctivadentes ſive noctivagantes: Hinc latine *Noctambuli* ſeu *Noctambulones* nuncupati, veluti vocabulum hoc præprimis arridet *Jacobo Horſtio*, cum ſcribit in *commentario ſuo de noctambulis c. 3.* Plerique omnes noctu ita „ ambulant dormientes, & nemo niſi *Galenus* interdiu „ dormiens ambulavit. „

§. V. Quia tamen ſani quoque noctu ambulent: rectius tales dici putat *Sennertus pract. l. 1. part 2. c. 19.* *ὑπνοβάτας*, ἀπὸ τοῦ *ὕπνου* ſomnus & *βατεῖν* vadere, quaſi ſomnovadentes, aut uti communiter hoc Autores interpretantur, *Somnambuli*, dum ſc. in eo ab aliis differant, non modo quod noctu; ſed etiam quod in ſomno ſurgant, ambulent, & ita vigilantium opera exerceant.

§. VI. *A Levino Lemnio* dicuntur *Ambulones*, quod vocabulum *Horſtius c. l.* magis aptum ac proprium, quam latinum cenſet. Appellantur etiam hodie ab errando à quibusdam Errones.

§. VII. Germani Hippocratem imitati ob ſupra allatam cauſam eos appellarunt Mondenſichtige oder Mondenſchlichtige quaſi von den Monden beſichtigte oder beſchinene. Conſtat enim, ſi ſomnambuli à lumine Lunari tangantur, malum hocce, ſi non induci, augeri tamen ſolere.

§. VIII. Affectio ipſa vocatur Græcis *νυκτοβατεία*, *ὑπνοβατεία*, *περυπνοβατεία*: Latinis *noctambulatio*, *noctiſurgium*, *ambulatio in ſomno* & à Paracelſo *l. de inſomniis & euntibus in ſomno*, *Mania ſomnii*: Germanis das umbgehen des Nachts. Nobis propriiſſimum placet ambulatio in ſomno quippe quod vocabulum rem ipſam ſatis clare definiat.

CAPUT II.

Rem ipſam per definitionem realem declarat.

§. I. Remotis ambiguitatibus, quæ rem imprimis obſcuram reddunt, iisdemque quæ nominis rationem ſpectant: videndum nunc erit, quid ea ipſa ſit, quam ita definimus.

§. II. Ambulatio in ſomno *eſt ſomnus præternaturalis, quo homo noctu è lecto inconſvete ſurgens ambulat & varia inconſvetaq; molitur, deſcendens à fortiori phantaſia per internum objectum in ſomno ei repræſentatum concitata, facultates ſibi ſubinceps miniſtrantes reliquas ita ſtimulante, actionemq; talem exercente.*

§. III. Conſideranda autem ambulatio in ſomno hic eſt non ut mera actio; ſed ut paſſio ſimul dormientis. Eſt enim à paſſione allata qualitas, quæ dormientem afficit, & quidem præter naturæ illius inſtitutum.

§. IV. Negat quidem hoc *Petr. Salius Diverſus l. de affect. Particul. c. 18.* magisque affirmat, affectionem hanc dormientium, qui vigilantium munia obeunt, non „ eſſe morbum, cum ſcribit, quod tali affectione de„ tenti non ideo curentur à Medicis, quod hæ affecti„ ones ſint morbi, vel quia ab his malum aliquod ſimpli„ citer immineat: Sed quia hi dormiendo poſſent ex „ inſomniis ad præcipitia deduci, vel ad aliqua pera„ genda concitari, ex quibus vel mortem incaute ac in„ conſiderate conſciſcerent vel aliis inferrent: Et ita non tam ad ſymptoma vel rem aliquam præterna-

turalem reducit, quam ad opera naturæ. Verum, quei ad hæc præſens affectus referri queat, videre ſatis non poſſumus. Utut enim quæ ab ambulonibus exercentur actiones ſuo modo ad opera naturæ referri queant: attamen non tam opus, quam operis iſtius, quoad tempus, modum ac ordinem inſtitutum exercitium ſpectari debet. Actiones enim hæ ſomnambulorum, ſurgere nim. & ambulare non averſantur naturam vigilantis; eveniunt autem præter naturam dormientis: Convenit quidem homini ambulare, ſeque à loco ad locum movere, ſed non in ſomno, ubi tantum abeſt, ut in hominis commodum cedant, ut potius dormienti noxam hæ affectiones inferant, quo de plura vide *in diſſert. de noctambulis Horſt. cap. 6.* in qua ille prolixius refutat *Salium*.

§. V. Cæterum etſi paſſio ſit hic affectus aliqua, morbus tamen ille dicendus non eſt. Eſt enim aliquid extra conſtitutionem partium, adeoque nec intemperies, nec mala conformatio, nec unitas ſoluta. Præterea morbi cauſa dici nequit; Hæc enim morbum & Symptoma antecedit. Colligimus ergo, quod non morbus, ſed ſymptoma ſit.

§. VI. Ad quam autem facultatem pertineat, disquiſitione longa non opus eſſe cenſeo. A Sennerto *l. 2. part. 3. ſ. 2. c. 4. inſtitut.* ſymptomatibus ſenſuum internorum annumeratur, & quidem *Practic. lib. 1. part. 2. c. 19.* iis, in quibus ſenſus interni ſimul læduntur, qualia ſunt Coma, Carus & Lethargus.

§. VII. *Gothofred. Mœbius Epitom. inſtitut. l. 2. part. 2. c. 12.* affectum hunc refert ad ſymptomata mixta, in quibus ſc. plures actiones animales & interdum ratio ſimul læditur, ut ſunt Vertigo, Incubus, Epilepſia &c.

cum

cum quibus, his illisve, quod & quo modo affectus noſter conveniat, examinare jam libenter ſuperſedeo. Sufficit, quod inde ſciamus, affectionem ſomnambulonum eſſe ſymptoma facultatis animalis, in quo actiones animales læduntur non quidem per meram abolitionem & diminutionem, ſed per depravationem ſenſuum internorum & inprimis phantaſiæ, facultatumq; inferiorum, ut ita homo in ſomno ſenſibus maxima ex parte ligatis & ratione obſcurata pro phantaſmatis in ſomno repræſentati ſpecie & natura ab appetitu per phantaſiam concitato cogatur è lecto ſurgere, ambulare, & ita ad recepti finem usque agere.

CAPUT III.

Somni naturalis naturam quodammodo explicat.

§. I. Cum thema noſtrum ſit aggregatum, conſtans ex terminis contrariis: ad meliorem rei intellectum ſeparatim agemus de ſomno, ut is naturaliter ſe habere ſolet. Hujus enim naturam perſpectam habere ad ſcopum noſtrum aſſequendum maxime neceſſarium eſſe puto.

§. II. Eſt autem ſomnus juxta pleroſque & Medicos & Philoſophos quies facultatis animalis, quæ prout ſimul includit ſentientem, moventem & appetentem: ita & eædem per ſomnum naturaliter tenentur, ut non poſſint debito modo operari.

Omnis autem facultas ſeu operatio fit mediante

Spiritu

ſpiritu *Zacut. Luſitan. hiſtor. med. princ. l. 4. hiſtor. 4. q. 4.* & anima ipſa non agit niſi per ſpiritus, qui cum neceſſitate naturali per ſomnum teneantur, vide iterum *hiſtor. med. princip. lib. 1. hiſt. 14.* ut in organa ſenſus motusque non poſſint influere, fit, ut ceſſet inde naturalis ſenſuum motusque actio.

§. III. Detinentur autem ſecundum communem Doctorum ſententiam, & quidem quoad agens materiale, ſpiritus in organis ſenſuum motusque placidi atque quieti ab humore alimentali crudo craſſoque, qui à prima & rudiori in ventriculo concoctione ſangvini arterioſo mixtus, hunc aliquo modo alterat, craſſitieque ſua in vaſis ſangvifluis ſpiritus vitales unà involvit, vimq; caloris influentis inhibet, unde extremorum frigiditas quodammodo & pulſus in principio ſomni imminutus deprehenditur *Valleriol. lib. 1. Enarrat. Medicinal.* qui, poſtquam motu circulari per arterias venasq; ad cor perductus fuit, caloris concentrati beneficio halituoſior efficitur; ad caput autem πρῶτον τὸ αἰσθητήριον elevatus, ſubindeque cum ſpiritibus animalibus permiſtus nervos ſubeundo interdum oſcitationem excitat, *Sennert. inſtitut. l. 2. part. 3. ſ. 1. cap. 8.* tandem paulò poſt frigiditate cerebri inſpiſſatus in nervis latitantes ſpiritus ligat quaſi atque conſopit, quo minus ſuum in ſenſu & motu exercendo officium præſtare poſſint, tuncque ſomnus ſuboritur.

Cave tamen, ne per crudum humorem intelligas illum, qui morbificus à *Galeno* vocatur,

 de quo

de quo lege ſis *Caſpar. Hoffemann*, *lib. de humoribus*; Hic etenim eſt tantum in morbis obvius, lethargicorum exemplo: ſed eum, qui dum cibus & potus in ventriculo in chylum mutatur, occurrit. Ab hoc enim ſvavium exhalationum & quæ ſingulariter ad ſomnum invitant utpote pleno cerebrum per vias tum manifeſtas tum occultas oppletur; eoque vis ſentiens & movens, natura ita jubente, demulcetur, ut ab influxu in ſenſus externos & motus organa aliquandiu ferietur.

§. IV. Utcunque autem ſomnus neceſſitate naturali impendeat: ſciendum attamen eſt, magnam animo in illum vim atque imperium eſſe, adeo, ut, niſi eo relaxato & affectuum commotionibus ſedatis, ſenſus ſubire non poſſit *Galen. de cauſ. Symptom. cap. ult. & 3. de cauſ. pulſ. 9.* Experimur ſiquidem appetitu & amore alicui rei invigilando ſomnum quandoque poſſe differri, nec raro alicujus rei deſiderio & neceſſitate interrumpi. Ita animus mœrore, iracundia & ſollicitudine inquietus ſomnum cauſatur inordinatum.

§. V. *Medium* vero, quo is adjuvatur, ſunt *tenebræ*, ad quas etiam interdiu accelerandas natura animalibus conceſſit palpebras.

§. VI. Reliquas cauſas quæ ſomnum adjuvare poſſunt, recenſet *Sennertus* multas eas atque diverſas, quarum differentias lege ſis *lib. 1. cap. 13.* Inſtitut. it *Zacut. Luſitan. l. 1. c.*

CAP.

CAPUT IV.

Genus ſive rationem formalem explanat.

§. I. Ex jam data ſomni naturalis explicatione facile eſt intelligendum, quænam natura & conditio ſit ſomni præternaturalis, quem generis loco in noſtra definitione poſuimus.

§. II. Diximus namque ſomnum naturalem eſſe ex ſucci alimentaris benigna exhalatione, atque pro hujus quantitate illum evadere longum atque profundum,

§. III. Duo enim accidentia hæc ſecundum naturam, citra ſanitatis incommodum ac detrimentum, ſomno adeſſe obſervantur.

Siquidem non omnis ſomnus longus ac profundus ſtatim & ſimpliciter eſt præternaturalis dicendus, ipſa experientia hoc atteſtante, eo quod iſtiusmodi ſomno multi ab imminenti morbo liberati aque exuperante tali levati fuerint. Quanquam nemo negare poſſit non paucos quoque expiraſſe, atque ita per talem ſomnum vitam cum morte commutaſſe; ut proinde medici interſit tali in caſu diligenter diſpicere, an ſalubris an inſalubris ſomnus ejusmodi longus ſit in morbis quandoque occurrens.

§. IV. Prout igitur iſta exhalatio in quantitate & qualitatibus prædictis ſe habet: ita quoque con-

 tingit

tingit ſomnum longiorem tum profundiorem fieri, cujusmodi exempla *carus* ; *coma* & *lethargus* nobis oſtendunt. *vid. Leonhard. Fuchſii inſtitut. l. 3. ſ. 1. cap. 11.*

§. V. *Quaſiti* annon inquietudo in ſomno affectio hæcce definiri poſſit ? reſpondemus : adeſſe quidem inquietudinem in hoc affectu ; verum tamen eam non primas tenere, eo quod illam ipſam noctambuli neque percipiant, neque etiam de ea principaliter conquerantur.

§. VI. Volunt nonnulli ſomnum ſenſus, non vero motus eſſe vinculum, adeoque dicunt, hominem naturaliter poſſe in ſomno nunc pedes nunc manus de loco in locum transferre, nunc de latere in latus ſe movere, modo in dorſum, modo in ventrem ſe convolvere, mox ſe erigere, iterumq; quieſcere, ut hoc modo nec impoſſibile & præternaturale videatur hominem in ſomno ſurgere, ambulare &c.

§. VII. Verùm ſcire hic oportet, utut ſomnus plus ſenſus hos afficiat, propter commune tamen principium, quod ſenſus & motus organa habent, ſpiritus ſcilicet animales per nervos ad ſentiendum & movendum influentes, motum ſimul cogi & coaffici, adeo ut pollicem in hoc nobis ſatis evidenter premente experientia, dum oculi ſomno capiuntur, & ipſe motus pariter ligetur & ceſſet.

§. IIX. Quod ſi tamen quandoque contingat, ut in ſomno quis ſe huc vel illuc in lecto volutet, loquatur etiam ; tunc cauſam hujus aliam dare non no-

vimus,

vimus, quam vim atque imperium phantaſiæ, quæ in ſomno etiam vel ſponte aut à cauſis externis vel internis laceſſita, renitente licet ſenſu communi, & invito, ejusmodi motus per commune ſentiendi & movendi principium exercet.

§. IX. Quod cum ita ſit: ſequitur non modo, ut qui ſymptoma hoc patiuntur à ſomno excitati neſciant, quid peregerint; verum etiam, quid factum ab ipſis inſciis eſt, admirentur.

Quanta enim phantaſiæ in facultates ſibi ſubjectas vis ſit atq; poteſtas, vel ex unico hoc patet, quod in momento partes alteret, lædat & corrumpat, ut videre eſt in peſte, in gravidis &c.

§. X. Non ergo mirandum, ſi in ſtatu morboſo ſimilia quoque eveniant, inque ſomnambulis ſingulare atque notabile quid phantaſia in ſenſu & motu ſomni tempore inſtituat.

CAPUT V.

De Subjecto ejusque proprietatibus agit.

§. I. Symptoma hoc affectus eſt dormientis; accidit enim nulli quam qui dormit; Nam ſi vigilans ambulat, id non fit præter naturam vigilantis, nec eum afficit. Hic autem homo præter naturam in ſomno afficitur. Et cum cauſa ſemper agat pro conditione ſubjecti: Vi-

videndum erit per quod & quomodo homo in ſomno hujus ſymptomatis capax fiat.

§. II. Sicuti autem de homine, tanquam *Subjecto* ut quod, nulla hic occurrit dubitatio: ita de *ſubjecto* quo, audienda ſententia doctorum erit.

§. III. Ubi alii cerebrum motus ac ſenſus organum pro ſubjecto agnoſcunt, eſtque hæc communis *Hippocratis*, *Galeni* tum aliorum quoque *Doctorum Philoſophiæ & Medicinæ* aſſertio.

§. IV. *Alii* verò *Argenterium* ſecuti *Cor*; alii demum *Helmontio* adſtipulantes *præcordia*, in quo nim. duumviratus habitat; quanquam & archæo lienis conſopito quidam palmam deferant.

§. V. Qui tamen ſcopulos hoſce ſubterfugere quærunt, exiſtimant, poſſe certo modo partes prædictas omnes ſomni ſedes eſſe, & conſequenter hujus etiam affectus. Ajunt enim executive affectiones has eſſe cerebri paſſiones, materialiter autem cordis & reliquarum.

§. VI. Noſtra eſt ſententia actionum & paſſionum diſcrimen determinari à partibus, quæ ſomno & vigiliis, motui & ſenſui &c. animali ſubjiciuntur, ut proinde ſtatuamus, cum in organa ſenſus & inſtrumentum motus irrepit quies, his non illis primario adjudicari debere hujus affectus ſubjectum primarium.

§. VII. Sit ergo *cerebrum* affectus hujus ſubjectum πρῶτον δεκτικὸν, quo de quæritur.

1. *Secundum quam partem illud afficiatur?*

2. *Qualis illa ſit?*

3. *An ſola ſineq; aliarum facultatum ſatellitio hanc affectionem ſuſtineat?*

§. IIX. *Primum* quod attinet; tunc cerebrum afficitur ſecundum partem medulloſam, quæ non modo calore nativo eſt perfuſa, verum etiam nervorum origo qui ad motus & ſenſus organa per totum corpus diſtribuuntur utraque ejus membrana ſimul amicti atque veſtiti. Res clara fit in lethargo, caro & ſimilibus ſaporoſis affectibus, qui locum ſuum in hac parte evidenter oſtendunt.

§. IX. Ad *ſecundum*, cum quæritur, qualis & qualiter affecta hæc ſit, tunc iterum non parum diſcrepant Autores inter ſe. Occurrunt enim in ſimilari cerebri ſubſtantiæ ejus *temperies*, quæ quia quadruplex, merito diſquiritur, an *frigida*, *humida*, *calida*, *ſicca* affectum hunc producat.

§. X. Teſtatur *Levin. Lemnius de occult. natur. miracul. lib. 2. cap. 5.* quod iſtiusmodi conditionis homines raro laxoque corporis contextu ac molis exiguæ, ſed magna ſpirituum agilitate animoque fervido ſint; unde, ſcribit, evenit, ut ſi vel extremis manuum pedumque articulis prehendant aliquid, ſe librent ac fulciant; contactisque tabulatis adhæreſcant. Concludit ergò cholericis naturis hoc familiare eſſe, utpote quibus peculiaris aptitudo non tantum ad movendum ſe elevandum & agendum: ſed & ad talia ſuſcipienda magna ſit eorum audacia,

§. *XI. Petr. Salius Diverſus de affect. particular. cap. 8. & Cælius Rhodiginus lection. antiquar. lib.*

16. *cap.*

56. cap. 35. editionis anno 1517. recentioris vero lib. 30. cap. 8. ſomnambulis aſſignat habitum *melancholicum*, quos abunde refutat *Horſtius l. c. l.*

§. XII. *Sennertus* quodvis temperamentum ad hanc affectionem aptum eſſe putat. Etenim, *inquit*, „ in quocunque corporis temperamento & conſti„ tutione ſeu ſangvinea, ſeu pituitoſa, ſeu bilioſa, ſeu „ melancholica, affectionem hanc accidere poſſe experientia docet. In quo conſentit *Libavius pag. 358.* ſcribenti: Quacunque quis ſit complexione, ſi cauſæ commemoratæ ſint, effectum ſequi probabiliter dicimus.

§. XIII. Nos ſalvo aliorum judicio in pauca contrahemus, quid hac de re ſentiendum ſit. Nimirum, cum hic non modo ad ſomnum: ſed etiam inquietudinem in ſomno & opera, quæ exercentur â ſomnambulis, reſpiciendum, quæ tanta & tam admiranda, ut ſæpe Herculis robur ſuperent: opinamur, non ita facile & frequenter in phlegmaticos, quam ſangvineos, melancholicos, omnium frequentiſſime vero in cholericos, ſervata vocabuli hujus latitudine, ſymptoma hoc incidere.

§. XIV. Horum corpora enim macilenta & per ſe levia ſpirituum vi ac puritate humiditatem alimentarem, utpote in hoc temperamento per ſe ſubtilem, perrumpente, ad motum peræque apta ſunt, uti nobiſcum ſentit præcitatus *Horſtius disſert. cap. 6. qui d. l.* refert, ſe juvenem perſpicacis ingenii, parvæ ſtaturæ, calidum & ſiccum toto corpore, niſi quod cerebrum humidius habuerit, in cubiculo

nudum

nudum ambulantem & dormientem vidiſſe feneſtram permagnam prorſus apertam clauſis oculis & palpando aſcendere; necnon alterum quendam bellicoſum ſatis Juvenem noviſſe, qui nudus in ſomno ſurgens per feneſtram mediante fune è trochlea pendente incidit in nidum picarum, quem diripuit ac diſputavit; pullos autem, induſio inter ambulandum aſſumpto involutos, revertens ad lectum depoſuit, & mane expergefactus rei inſcius admiratus eſt pullos in induſio, de quibus, ut narrabat ſociis ſuis, ipſe ſomniaverat. Fervidioris temperamenti & animi bellicoſi teſtimonium confirmat etiam auſus iſte juvenis illius, de quo S. HENKIUS *lib. 1. Obſ. 127.* ex *Andr. Alemanno* ſcribit, quod ſingulis noctibus inſciens ſurrexerit, ut artem gladiatoriam exerceret.

§. XV. Nec de cholericis negandum eſt magis illos affectu, quam ratione, vigilantes etiam, ad varia inconſiderate perpetranda duci. Ut itaque haud dubium ſit, ipſos etiam per ſomnum fervido & intemperato animo præ cæteris talia audere, quæ vigilantes vix præſtare poſſent.

§. XVI. Accedit denique artuum in illis robur, quod natura hujus temperamenti hominibus ex ſpirituum copia conceſſit, ut in iſtiusmodi eſſrenatis cupiditatibus exequendis contra concomitans damnum atque periculum tutum habere poſſint præſidium. Quo etiam per naturam utuntur in ſomno, & per tecta ac tabulata ædium ambulantes ſingulari vi ad trabes ſe firmant, ne forte cadant.

CAPUT VI.

Cauſarum doctrinam evolvit.

§. I *Cauſa immediata* & *continens* eſt ipſa imaginatio ſeu phantaſia fortis per certum aliquod objectum, quod ipſa ſibi vel memoria repræſentavit, irritata.

§. II. Notum enim eſt omnium primo per ſomnum ſe expedire phantaſiam, quæ ſi naturaliter conſtituta, dormientem non ultro per ſomnum movet, niſi quandoque in riſum, loquelam & ejulatum &c. ut inde etiam homo interdum evigilet; ſi vero ſit depravata & præter naturam ſuam fortior, tantam vim atque poteſtatem in facultates reliquas, conjunctas ſibique ſubjectas habet, ut dormiens ſe in lecto erigat, & brachiis pedibusque tumultuetur; qui proximus gradus eſt noſtro affectui.

§. III. Hæc, ut fine ſuo illa potiatur, miniſterio appetitus tum ſenſitivi, tum voluntarii & locomotricis facultatis utitur, quibus absque aliàs ſomnambuli nec e lecto ſurgerent, ambularent & vigilantium opera quæ ſunt, inter dormiendum exercerent.

Dum igitur dictæ hæ facultates, veluti ſenſuum externorum quæ ſunt; phantaſiæ imperio ſubſunt, quid mirum? ſi affecta eâ & hæ in conſenſum rapiantur, aut invito aut non hoc faciant.

§. IV. Ob-

§. IV. *Objectum* quod phantaſiam irritat & movet, varium eſt ac multiplex; hinc & diverſæ & diſtinctæ ab illis in ſomno exercentur actiones.

§. V. Moventur hæ beneficio ſpirituum animalis, qui ſunt ad ſenſum & motum facultatum principum organa proxima, talesq; in ſomno actiones perficiunt. Videatur *Hippocrat. de inſomniis.*

§. VI. Afficitur autem potiſſimum *appetitus ſenſitivus* pro objecti antecedentis cognitione. Et cum imaginatio dormientium brutorum imaginationi, teſtante *Laurentio hiſtoriar. Anatom. lib. 4. cap. 20. qv. 11.* ſimilis ſit, utpote quæ non habet rationem repugnantem, ut per ſomnum repræſentata phantaſmata æſtimare & judicare poſſit, ſed obſcurè tantum cognoſcat, atque ita ad appetitum deleget: evenit inde, ut appetitus fortiori impetu feratur ad proſequenda omnia, quæ è ſenſu recepta approbavit.

§. VII. Concitatur ergò locomotrix ad talia, quæ appetitus jubet, peragenda, quo fit, ut ſomnambuli multa moliantur, quæ vigilantes non auderent.

Nam quod cacumina, tecta & tabulata ædium perrepant, per trabes & lacunaria oberrent, feneſtras aſcendant, omniaque denique pericula intrepide ſubeant, quid aliud hoc, quam non judicatæ mentis actiones importat, quas ſi vigilantes audiunt, rationis judicio commoti meritò expaveſcunt.

§. IIX. *Cauſæ mediatæ* ſunt vel *internæ* vel *externæ*. Ad internas proximiores refertur *ſpiritus & ſangvis*; ſine his enim nulla obitur ab anima & facultatibus ejus actio.

 §. IX. *Spi-*

§. IX. *Spiritus* hic & *ſangvis* quotiescunque *ſubſtantia. quantitate, qualitate, motu, & quiete peccant*, nimis ſcilicet craſſi ſunt vel tenues, puri impuri, multi, frigidi, calidi, mobiles admodum, torpentes, tunc ſecundum omnia hæc cerebrum ſuas actiones ſub ſomni tempore in noctambulonibus adornat. Has cauſas excipit *temperamentum*, *ætas*, *ἰδιοσυγκρασία*, & diſpoſitio hæreditaria.

§. X. *Remotiores* ſunt *ex rebus nonnaturalibus*

1. *Aer* vel calidus nimis vel frigidus; uterq; enim copiam vaporum ſubminiſtrare poteſt; imprimis pluvioſus & turbidus.
2. *Cibus & potus* craſſos & multos vapores de ſe ſpirans; uti *lactuca, fabæ, piſa, lac, vinum ac cerevifia recens*; quo & *ebrietas* pertinet cruditatum mater.
3. Ad *motum* exercendum excedat *proclivitas*, quemadmodum *quies*, quæ crudos parit ſuccos, ſi nimia eſt.
4. *Vigilia & ſomnus* quid valeant cum modum excedunt, optime notum eſt.
5. *Excreta & retenta* ad idem malum diſponunt,
6. *Affectus animi* quoq; quomodo in conſenſum veluti trahant facultatem & vitalem & animalem noto notius eſt.

Quo *appetitus & firma cogitatio* de rebus his vel illis perficiendis pertinet, quæ etiam facultatem animalem ſtimulant ad illud genus actionis obeundum, quale exemplum ante viginti & plures annos ſeſe exhibuit hac in civitate in ſtudioſo tum temporis novitio, qui poſtquam huc appuliſſet, irretitus à forti phantaſia per ſomnum ac ſi monitus à tabellario

iter

iter jenam verſus promoveret, de feneſtra cellæ oppidanæ tertiæ contignationis in terram præcipitem ſe dedit, alto ſopitus ſomno, à quo ſub diluculum expergiſcens, idem ſomnium adſtantibus recitavit, nec quicquam aliud conqueſtus eſt (etiamſi præter indusium nihil haberet quo eſſet amictus) quam luxationem carpi & immobilitatem genu, à quibus ope medicamentorum non nihil tamen convaluit, referente *Dn. Præſide.*

§. XI. Ad *res ſupernaturales* incantatio pertinet.

§. XII. An lunæ infauſtus aſpectus ſymbolum addat, multi credunt; rationem ex *Hippocrate* adducunt, qui *lib. de flatibus ſcribit*, Lunæ in aëre ſedem & fundamentum eſſe, atque cum ipſo maximam communionem habere animantes. Cum autem Luna ſingulari vi & facultate operetur in ea quæ ſubſunt aëri, uti videmus in vegetabilibus, vino, aqua & aliis, quæ creſcente Luna tument ſpumantque: fit inde, ut homo iisdem ad vitam ſuſtentandam utens, per operationem Lunæ ſimilem facile corripiatur & in hunc affectum perducatur. Quod ſi quidam ex eo ſequi velint, omnes hoc affectu laborare quod neceſſe ſit, quoniam omnes homines ad vitam ſuſtentandam utantur ſublunaribus; illis temperamentum oppono, & cum *Hippocrate* rei caſuam eſſe dico, quod corpus à corpore, natura à natura differat. Neque enim cuivis animantium generi eadem à ſideribus ſunt commoda aut incommoda; ſed alia aliis conveniunt. Vide *cap. 5.*

§. XIII. *Superſtitioſum* eſt quod quidam cauſam referunt in verba quædam à Sacerdote in baptiſmo omiſſa; fabulam enim & rei fraudem ipſa experientia detegit.

CAPUT VII.

Differentias ſuppeditat.

§. I. Commune quidem omnibus eſt iis, qui dormientes ſurgunt, in ſomno ambulare: veruntamen modus ambulandi eſt diverſiſſimus reſpectu ipſius ſomni atque operationum, quem in curatione obſervare operæ pretium eſt. Et quidem.

§. II. Ratione 1. GENERIS, videtur res ſatis clara eſſe. Tales enim in ſomno noctu ſurgere, variaque opera exercere conſpiciuntur, quorum altero die vix recordantur.

§. III. 2. SUBJECTI, adultorum, ſenum, juvenum, virorum, mulierum alia eſt.

§. IV. 3. CAUSÆ alia à ſupernaturalibus, quale apud *Lemnium* exemplum eſt illius, qui inverſo capite ſuper lacunar ambulaſſe dicitur.

Sic *Henricus ab Heer in obſervationibus ſuis* refert de aliquo, qui noctu ſurgens puteum aperuit, ſcripſit, altaque voce relegit; & jam demum uxori in matrimonio accumbens infantulo cunis erepto per omnia ſecure absque ſui & infantuli periculo dormiens ambulavit, ſequenti uxori ad omnia quæſita & hortationes expedite reſpondens, non ſecus ac ſi vigilans audiviſſet, cum tamen mane ne quicquam de hoc ſciverit.

§. V. Alia

§. V. *Alia naturalis à cauſis internis & externis talibus* dependens his vel illis.

§. VI. 4. A DIUTURNITATE quædam continua quædam interpolata; & quod cito vel difficulter expergefiant.

§. VII. His adjungi poterit 5. quod alii in ſomno ſilentes alii, tumultuantes, alii apertis, alii clauſis oculis circumeant, alii pauca & vilia, alii plura miraculoſa & vigilantibus impoſſibilia moliantur. &c.

CAPUT VIII.

Signa diagnoſtica monſtrat.

§. I. Etſi affectus hic facile cognoſci poſſit ex noctiſurgio & ambulatione: tamen cum etiam ſano posſint hæc contingere, ut noctu è lecto ſurgat & ambulet, nec inter ambulandum noctu bene perſpici poſſit; an quis clauſis, an apertis oculis circumeat, & ſi apertis oculis ambulet, nec adhuc certum ſit, cum & ſomnambulonum quidam ſic ambulent, merito ad ſigna certiora fugiendum erit.

§. II. Ut ergo ſigna *ratione* GENERIS ſatis manifeſta: ita quæ à SUBJECTO petuntur, multum diſcriminis in cognoſcendo non admittunt. An enim vir, mulier, puer &c. ipſe oculorum aſpectus dabit.

§. III. A CAUSIS deſumta majoris ſunt momen-

momenti, non usque tamen cognitu difficilia.

§. IV. Si à *cholera* eſt affectus, tunc, qui hoc affectu detinentur, edunt ſigna cholerici temperamenti: ſi à *pituita ſangvine melancholica* ille proficiſcitur, tunc aderunt horum humorum peccantium ſigna, queis de *D. Sennertus in Inſtitut.* & *praxi* conſulendus.

§. V. Ab *externis cauſis* ſi malum deſcenderit, & ægri & adſtantium hoc aperiet relatio. *Ebrietas* an præceſſerit, & ipſa inquirenti ſignificabitur.

CAPUT IX.

Prognoſin exhibet.

§. I. Periculo omni hic affectus non caret, dum & ſibimet ipſis, aliisq; interdum nocere poſſunt; non tamen per ſe, ſed per accidens periculoſus eſt.

§. II. Ratione 1. *Salutis & mortis*, melior eſt affectio, quæ ignem, aquam & alta fugit, quippe quæ periculum vitæ inducunt.

§. III. 2. SUBJECTI, deterior in melancholicis, quam ſangvineis & cholericis: In pueris citiorem ſpem demittit. Mulieres raro hoc affectu detinentur, quæ cum puſillanimes, monitæ ab amicis obſecundant.

§. IV. 3. CAUSÆ: Difficilis curationis eſt affectus à cauſis ſupernaturalibus. A naturalibus pro bonitate & malitia humoris nunc deterior nunc melior. Ab internis periculoſior, quam externis. Hæreditaria vix aut nunquam curatur.

§. V. 4. QUOAD DURATIONEM, longorum ex numero eſt, & non facile mutatur ante decurſum ætatis. Ut etiam infantes, & pueri non facile eo corripiuntur, ſed juvenes & conſiſtentis ætatis homines; ita etiam ſenes plerumque ſponte deſerit, humorum diſpoſitione ad hoc malum inducendum immutata.

§. VI. 5. Quoad MODUM EVENTUS plerumque in pejus malum ut epilepſiam, apoplexiam, coma &c. deſinit, ita ut ſi non in tempore ei ſuccurratur, periculum ſit in mora, poſteriusq; malum magis metuendum priori.

Narrat *Horſtius* de quodam qui per ſomnum in puteum deſcenſus, aqua gelida admodum refrigeratus inde apoplexia correptus obiit.

CAPUT X.

Medendi methodum revelat.

§. I. CURATIO indicationibus nititur & materia auxiliorum ex triplici fonte petitorum.

Indicationes occurrunt à rebus & ſecundum naturam & p. n. petitis. *Illa* volunt ut contrariis; hæ ut ſimilibus curationem auſpicemur.

§. *II. A morbo curatoria* ſumitur, quæ vult ſi adſit cerebri intemperies, aut totius, ut per contraria tollatur; obſtructiones autem quæ adſunt reſerantur.

§. *III. Præſervatoria* ad cauſas mediatas dirigitur; ſi peccet *ſangvis quantitate*, per V. S. evacuandus: ſi *qualitate*, alterandus: ſi *motu*, intercipiendus & mitigandus. *Flatus* ſi adſint, diſcutiendi: *Si cholera* peccet per

bilem eradicanda & tollenda: ſi *pituita & melancholia* alterandæ & evacuandæ contrariis appropriatisque; *ſerum* ſi abundet, *diaphoretica & diuretica* ex uſu erunt.

§. IV. VIRES DIÆTA ſeu uſu rerum ſex non-naturalium legitimo conſervandæ, corroborandæ & confortandæ. Inordinatus motus ſpirituum *anodyna* depoſcit.

CAPUT XI.

Curationis modum proponit

§. I. In curatione autem affectus hujus duo attendenda ſunt, *quid* nimirum *ante paroxyſmum*, & *quid in ipſo paroxyſmo ſit* agendum.

§. II. Ab initio in plethora laudatur *vena ſectio*. Nec penitus improbari hic poteſt *arteriarum apertio*, præprimis in cholericis corporibus.

§. III. Quibus vero *alvus indurata* aut difficulter ſolubilis eſt, ne excrementorum diutina retentione flatus communicentur alimento in inteſtinis tenuibus; illis permeabilis efficiatur per *Lenientia*, ut ſunt *Decoctum laxativum P. de ſpina*, *Laxativum minerale*, *Electuarium lenitivum &c.* vel:

℞ *Electuar. lenitiv.*
Diacathol. ãa. ʒij.
Scammon. 🜍*rat. gr.* viii.
fl. caß. recenter extr. ℥ſ.
Cum ſacharo q. ſ. f. Bolus S.
Laxier Biſſen.

℞ *Extract. cathol. D. Michael.*
aloes.
rhabarbar. ãa. ℈ſ. *cum*
°°*ſænicul. F. pilul. num.* 10.
cõſpergantur pulv. caryophillor. aromatic.

Hæc ſine præmiſſis aliquando præparantibus, aliquando absque illis offerantur.

§. IV. Si *pituita lenta ac viſcida* in cauſa eſt, proderit

▽ *apt-*

▽ *aperitiva vel decoctum aperitivum aliquod, vel mixtura ſimplex*; it. *Elixir proprietat.*

§. V. In *Melancholia* extirpanda ſequentes porrigi poſſunt *pilulæ.*

℞. *M. P.* ♀ *arear. Quercet.* ℈i. *extract. fol. ſen.* gr. vi. *magiſt. gum. gutt.* gr. viii. *eſſent. fumar.* q. ſ. *F. l. a.* Pilul. S. Purgier pillen uff einmahl

℞. *pulv. ſen. Montagn.* ℨi. *ſcammon.* ♀ *rat.* gr. vi. ♀r. ⊖lat. ℈ſ. M. S. Purgirpulver

℞ *Extract. Melanagog.* ℈i. *Eſſent. hydragog. ejusd.* ãa. ℈ſ. *tinct.* ♀r. ♁*ar. D. Mich.* *meliſſ.* ℥iſ. ▽. *cinamom. borraginat.* q. ſ. M. S. Purgier-Tränckleiñ wol umzuritteln uff einmahl.

§. VI. In educenda *bile* proderit *tinct. rhabarbari* ad 40. gutt. propinata in decocto refrigerante v. g. *rad. cichorii* ad ℥iij. eſtque repetendum, ſi videbitur, hoc remedium.

In robuſtis prodeſt *infuſum vitrioli* vel *croci metallorum.*

§. VII. Cum ſoporoſis affectibus averſetur ☿ius, & hic eſt advocandus, uti ☿*ius vitæ cum* vel *ſine* ⊖*le correctus.*

Gialapium & flatus & ſerum educit, ſi pulvis ad ℈j. in juſculo ſumatur.

§. IIX. Ad hoc ſuum etiam addere poſſunt DIAPHORETICA, quorum nota virtus atque materia

℞. ⊖*l.* ♀*ris* gr. vi. *fumar. fœnicul.* ãa. ℈ſ. *magiſter. Corall.* gr. vj. *fl.* ♀*ris* ℨi. ♁*ii diaphoret.* ℈ſ. M. S. Schweißpulver 3. Meſſerſpitzen auff einmal.

℞ *Sirup. corall.* ℥iſ. *ſpir.* ⊖*l. diaphoret.* ʒß. ▽. *ſtimmi* ♀*ar.* ⊖l. ãa. ℥ij. *lac.* ♀*ur.* ℨlß. M. S. Blutreinendes ſäfftlein 2. Löffel auff einmal.

 §. IX.

§. IX. DIURETICA poſſunt eſſe ⊖ ſuccini, ... ar. ⊖is, liquor diureticus Rivii, ▽. fructuum cynosbati, aut

℞ *ſummit. abſinth. pii*
fænicul.
fl. cichor.
chamomill. ãa. piij
chamædr. pui.
fol. endiu.
chamædr.
filipendul. ãa. mj.
fumar.
abrotani.
adianth. ãa. mß.
rad. bardan.
aſparag. ãa. ℥iij.
ari
chinæ ãa. ℨj.
ſem. fænicul. ℈iiij.
bardan.
carvi ãa. ℥ß.
Cort. citr.
aurant. ãa. ℥ß.
coſt. ℨij.
Cinamom. ℥ß. Inciſa, contuſa M. D. pro nodulo in ſero lactis vel vino rubro.

§. X. Evacuato corpore, quo impediatur omnis cruditas materiaque flatuum, ante omnia ventriculi imbecillitati ſuccurrendum eſt STOMACHICIS SPECIFICIS, qualia ſunt *pulv. Stomachicus Birckmanni & D. Michaelis, Elixir Stomachale ejusdem, Elixier vitæ Mathioli,* ▽ *vitæ Hartmanni, Diatrionpipereon,* ⊖ *abſinth. &c.* Vulgariter proſunt *Rub juniperin. grana piperis, Zingiber, radix acori condita, vinumque generoſum.*

℞. *diagalang.* ℨiſ. *diatrion. piper.* ℨi.
ſpec aromat. roſat ℨij.

M. cum ſirupo de mentha F. electuarium de quo mane & veſperi horam unam ante cibum quantitas nucis juglandis offerenda vel:

℞ *Spec. diagalang. aromat. roſat.*
diamargarit. calid. ãa. ℨj.

Sacchari diſſoluti iu ▽. meth. q. ſ. F. Confectio in rotulis qua de iij ad v. mane & veſperi præbeantur.

§. 11. His addantur inſuper *cerebrum* CONFORTANTIA v. g.

con-

℞. conſerv. calcatrip. ℥j.
beton. ſalv.
meliſſ. āa. ℥ſ.
mel. anthoſat. ʒv.
cryſtall. dulc. ⊖l. commun. ℈ſ.
M. adſpergantur ſpec. diambr.
S. ſtärckend Haupt- und Glieder Zucker uff zweymal.

℞. tinct. ♀er. ℈ſ. corall. Hartman. ʒij. Q. E. ♀er. ℈iſ.
M. S. ſonderlich tinct. auff 30. Tropffen.

℞. Amygdal. dulc. decorticat.
dactil. āa. ℥ij.
nucl. nuc. jugland.
avellan. āa. ℥ſ.
perſicor. ʒiſ.
ſem. oryzæ
hordei. āa. ℥ſ.
Contundantur. Adde conſerv. fl. primul. ver. beton.
ſalv. ān. ℥j.
Cum ſirupo portulac. compoſ. F. electuarium.

Vel:

℞. Condit. nuc. jugland.
indic. ān. ℥iij.
cydon. ʒii.
pyror. muſcatell.
conſerv. portulac. āa. ℥ſ.
meliſſ.
flor. beton. āa. ʒiij.
primul. ver. ℥j.
pulv. anodyn. Auguſt. ʒj.
ſpec. diamargarit. frigid. ℈ij.
trochiſc. de carabe Meſue ʒſ.
de corall.
bechic. rubr. āa. ʒj.
Succe. granat. ʒij.
cum miva cydonior ſimpl. q. ſ. F. conditum

Item:

℞. Conſerv. portulac.
fl. beton.
primul. ver. āa. ʒij.
myrobalan.
nuc. condit. āa. ʒiij.
pulp. citr.
cydon. āa. ℥ſ.
pulv. anodyn. Auguſt. ʒiſ.
amyli cum ſacchari anatica proportione in ▽. alchimil. ſoluti F. Morſuli.

Quidam laudant *trageam cephalicam Quercetan. ad affectus frigidos*; ex cujus ſpeciebus parari poterit elixir cephalicum.

It: prodeſt *eſſent. rad. pæon. ejusq́ tinctura*. In frigida cauſa convenit *eſſentia ambræ ac moſchi*.

Ante cubitū poſſunt ſequentes uſurpari rotulæ 3. vel. 4.

℞ *Margarit. præp.* ℈j. *camphor.* ℈ſ.
laudan. opiat. gr. v. *ſacchar. clarific.* ℔ſ.

Contra terrentia ſomnia etiam collo portari poterit *Rubinus*. A proprietate laudatur *eſſentia flor. hyperici*, quæ omnia dicitur ſpectra abigere.

§. *XII.* Inter *externa* non parum conferunt *balnea & lotiones*, inprimis capitis, ſi iis indantur herbæ diſcutientes caputque corroborantes, ut ſunt *fl. chamomillæ Roman. ſerpillum, lavandula, ſalicaria, althæa, parietaria, folia vitis* &c. ſi caput caleat vel;

℞. *herb. polii*
calaminth. mont.
origan. aneth.
fl. melilot.
majoran. ān. mj.
ſem. anis.
fœnicul. cumin.
bacc. lauri āa. ℥j.
S. Species zur haupt Lauge.

Inungatur caput *balſamo rutæ, roriſmarin. majorani*. Fiat ſuffitus de *ſuccino, olibano &c.*

§. *XIII. In ipſo paroxyſmo* multa peragere non eſt neceſſe. Si è re fuerit, & tuto hoc facere licet, ægri erunt excitandi vel clamore vel aliis modis, nec non periculoſo loco eripiendi ſecundum Sennertum.

Inprimis autem confert expergefactos objurgare de inſano iſtius modi negotio, illisq; verbis ſat ponderoſis ob oculos ponere damnum illud atque periculum, in quo ita ambulantes verſentur.

Periculi enim hujus ad ſenſũ vocati revolutione, animi affectus atq; cupiditates quodãmodo compeſcuntur.

§. XIV. Quod ſi autem per hoc nondum deſinant, tunc nequaquam eorum ſuſcipienda eſt ſententia, qui volunt eos verberibus tractandos, virgisq; cedendos eſſe, usque expergefiant.

Cum enim quidam admodum profunde dormientes ambulent, & neque verbis, neque verberibus in

paroxy-

paroxyſmo excitandi ſint, ipſo autem remiſſo per ſe potius, quam verberibus expergiſcant, quæ quæſo iſta eſſet inſania illorum omni ſenſu in paroxyſmo orbatorum corpora usque ad paroxyſmi finem fruſtra fuſtibus mutilare, virgisque ad ſangvinis eruptionem usque lacerare. Hic enim curandi modus carnificina potius videretur, quam medicina.

§. XV. Alio utitur *Horſtius* curandi modo, quem vocat chirurgicum; jubet pelvim vel vas rotundum aqua frigida repletum eum in locum, ad quem pergit ſomnambulans, ponere, ut id ingreſſus ſangvinis ferventis refrigeratione per aquam facta cadat æger & evigilet. Hoc enim terrore & remedio expergefactos ad ſe redire, nec unquam poſt noctambulare teſtatur.

Sed cum hoc terrore quidam in apoplexiam, quidam in melancholiam, ut ipſe ſe vidiſſe comprobat, facile incidant: conſultius eſt neque acclamatione, neq; verberatione, neque alio modo paroxyſmi curſum inhibere, ſed potius poſt paroxyſmum ordinariam curandi viam ingredi.

CAPUT XII. & ultimum
Diætam præſcribit.

§. I. Cum hominis natura legitimo rerum nonnaturalium regimine conſervetur, eoque ipſa labefactata adjuvetur, etiam harum hic habenda eſt ratio.

§. II. AER itaque ſit purus non turbulentus nec nebuloſus. Noctu vitentur radii lunares, & ne ad caput dormientis pertingant, caveatur.

§. III. CIBI ſint probæ ſubſtantiæ, ut *caro bubula, vitulina, vervecina, lucii, ova tremula, oriza; caſtanea & mali ſucci olera vitentur.* Fugi-

Fugiantur autem frigida, craſſa & flatulenta, quæ imprimis materiam huic malo generando ſuppeditant ut: *fabæ, lentes & ſimilia.*

§. *IV.* POTUS ſit cereviſia pura, boni odoris & ſaporis ac mediocris conſiſtentiæ. Laudantur Wratislavienſis, Naumburgenſis aliæque hordeaceæ.

Caveat ſibi à nimis recenti, præprimis triticea.

Abſtineat à novo & nimis largo vini uſu. Semper largior cibus quam potus aſſumatur, præſertim tempore cœnæ.

§. *V.* TEMPUS CUBITUM *eundi* obſervetur, ne ſtatim à cibo ineatur ſomnus, nec ultra conſvetudinem multum differatur.

Cubitus vitetur in tergo, corporis autem poſitura ſit recta, capite aut thorace non nihil elevato.

§. *VI.* ANIMI AFFECTUS ſint moderati; curæ, cupiditates & cogitationes ſeriæ vitentur, ne illarum imagines phantaſiam in ſomno turbent.

§. *VII.* EVACUATIONES corporis naturales conſvetum obſervent tempus, quæ ſi vitium paſſæ, corrigantur.

§. *IIX.* VIGILIIS & QVIETE moderate utendum.

§. *IX.* Suum etiam hic habent uſum *exercitationes corporis*, temporis modo habeatur ratio.

Caveat æger ſibi à curſu nimio, ne aër copioſus capiatur in fomentum ægritudinis.

§. *X.* Nullus hic Veneri intempeſtivæ & illicitæ locus concedatur.

Omnia mediocritatem reſpiciant, hæc enim vita quaſi & anima eſt bonæ valetudinis.

F I N I S.